Theſes
Deſumtæ ex Materia
DE
SUCCESSIONIBUS REGUM & PRINCIPUM, FAMILIARUMQVE ILLUSTRIUM,
Quas
Loco Diſputationis inauguralis in poſterum prolixius elaborandæ
Permiſſu Magnifici JCtorum Ordinis
PRÆSIDE
Viro Amplisſimo, Excellentisſimo, & Conſultisſimo
DN. JOH. WOLFFG. TEXTORE
JCto Anteceſſore & Conſil. Elect.
Nec non p. t. Facult. Jurid. Decano dignisſimo,
Fautore & Promotore ſuo honoratisſimo,
Pro obtinendis ſummis in Jure honoribus publice ventilandas exhibet
BURCHARDUS NEUKIRCH,
Weſtphalo-Paderbornenſis,
Ad diem XIV. Novembr. MDCLXXXVII.

BIBLIOTECA ... ROM ...

****

HEIDELBERGÆ,
Denuo recuſa 1715.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sereniſſimo
ac
Potentiſſimo Principi, ac Domino,

DOMINO
PHILIPPO WIL-
HELMO,

D. G. Comiti Palatino Rheni
S.R.J. Architheſaurario & Electori,
Principi,
Duci Bavariæ, Juliaci, Cliviæ ac
Montium,
Comiti Veldentiæ, Sponhemii, Mar-
cæ, Ravensbergii & Meurſiæ,
Domino Ravenſteinii. &c.

Domino ſuo Clementiſſimo.

Google

Digitized by Google

Sereniſsime & Potentiſsime

PRINCEPS ELECTOR,

Domine Clementiſsime.

TRahi me ſentio à potentisſimo *Magnete* dicam an *Magnate*, quo Cæſar & Imperium nihil habent antiquius, ego cum infinitis aliis nihil colo impenſius. An eum non colam, cujus

Google

jus quanta effulget per orbem terrarum gloria, tanta in me ſervorum infimum emanat gratia, non verbis modo promiſſa, ſed factis jam conſignata? Poteramne Principis maximi clementiam ſperare, vel etiam optare majorem, quam ut in ſtadio Jurisprudentiæ abſoluto curſu ſub umbra Electoralis gratiæ liceat quieſcere? Felix ſtudium cui fructus reſpondet, meritis pretioſior, exſpectatione maturior! Sed felicior Luſitanius Hymen, qui accenſis tædis me evocavit è

cali-

Digitized by Google

caligine detecta ſemita ad tantã ſerenitatem! Ecce enim qui nuper veneram in ſocietatẽ debitæ gatulationis jam admittor in partẽ in debitæ benignitatis: Et qui Juſtitiam Pacis & belli regni Luſitanici ſub Regis & Reginæ auſpiciis diſputaveram, mox ſocero Regio gratioſiſſime annuẽte Juſtitiæ conſecror. Sic electus ego à *Sereniſſimo Electore* ad tantæ gratiæ faſtigium viciſſim pro Electorali incolumitate florentiſſimaq; felicitate vota nuncupo, calidiſſimaq; ad Deum T. O. M. ſuſpiria fundo, atq; ut vitæ, rerũ

for-

Digitized by Google

fortunarumq; mearum omnium, ita hujus quoq; inauguralis diſputationis meæ Patronum longe clementisſimũ ſupplex veneror. Cui enim omnia mea debeo, quid illo non Auſpice moliri potero? Huic ergo Electorali Clementiæ Juridica de *Succesſione Regum & Principum* placita non Juſte minus quam demiſſe conſecrat.

ELECTORALI SERENITATI

Servus humillimus

BURCHARDUS NEUKIRCH.

Digitized by Google

Thes. I.

IN regnis & Principatibus naturali Jure non ſuccedunt fœminæ ſed ſoli maſculi, primumque in orbe exemplum fœmineæ ſucceſſionis à fraude ac ſimulatione cœpit; Non enim Semiramis regnum niſi ſimulato fictoque ſexu maſculino adepta eſt; ad ejus usque tempora caruit orbis exemplo, nec poſtea niſi rariſſima ejus fuit imitatio apud veteres.

Theſ. 2.

Uti nullus alius Electoratus, ita nec Palatinatus in Imperio unquam per fœminam ſeu fœminea ſucceſſione quæſitus eſt; etſi forte quandoque facilior inveſtituræ eorum impetrandæ occaſio per filiarum ſuperſtitum nuptias quæſita fuerit.

Theſ. 3.

A natura quoque eſt, quod primogenitus reliquis fratribꝰ præferatur; tritiſſimum enim eſt in pari caſu, priorem tempore potiorem eſſe Jure, idq; neceſſitatis eſt, ut, cum Principatus, qui ab uno reguntur nec inter plures dividi, nec à pluribus communiter haberi poſſint, non niſi uni cedant, & quidem ei qui prior naſcitur, quia tunc nemini Jus ſuum

aufert

aufert, quia nemo ante eum filius fuit; at ipſi Jus ſemel quæſitum auferretur, ſi alio poſtea nato in hunc ſucceſſio tranſiret. Atque hinc in ſacris ante legem ſcriptam primogeniture prærogativa apparuit in Iſaaci filiis; & hoc naturæ Jure violato funeſtisſima ſemper bella parricidiaque ſecuta eſſe commemorat *Arum. diſc. Acad. theſ. 61.*

Theſ. 4.

Ab eadem natura eſt quod à primogenito filio, etſi is Principatũ adeptus non ſit, devolvatur ſucceſſio ad ipſi9 deſcendẽtes eoq; nepos aliiq; deſcendẽtes ex primogenito præferantur fratri. Jus enim primogenituræ ex nativitate oritur, eiq; cohæret, ac proinde in momento nativitatis incipit, ſed effectus ejus ſuſpenditur in temp9 mortis paternæ. Hinc igitur quando moritur primogenitus filius, hoc Jus ſuccedendi ſeu Jus primogenituræ ſemel natum atq; quæſitum, & cujus effectus ſaltem ſuſpenſus eſt, neceſſario transmittitur ad ipſius filium, quippe qui lege naturæ ſuccedit patri in omnia ſua Jura & vi hujus in ſe transmiſſi Juris primogenituræ, neceſſario quoque effectus ejus quandocunque ſecutus fuerit ad eundem pertinebit, quippe qui Jus ſequitur, non vero ad fratrem primogeniti, atque ita primogeniti filius præfertur ejus fratri in Jure primogenituræ, etſi hic frater ſcil. ſit major ætate; quia nepos non ſuo Jure, nec ſuo ætatis privilegio, ſed ex Jure patris ſui in ſe juxta naturæ ordinem derivato ſuccedit, quo nomine potior eſt patruo; & hæc cauſa cum de ea conveniri in Comitiis Imperii tempore Ottonis I. non potuerit, res duello commiſſa fuit, in quo cauſa nepotis prævaluit.

Theſ. 5.

Theſ. 5.

Unde ſequitur ſi quis Princeps duos v. gr. filios reliquerit, & tunc cum Principatus ad eos devolvitur ex majore filio ſuperſit aliquis deſcendentium in ſeptimo gradu, ex minore autem filio aliquis in ſexto gradu, indubie ille qui ex majore filio ortus eſt potior eſt, etſi gradu remotior, quia non ex ſuo, ſed ex majoris filii Jure primogeniali, quod in deſcendentes ſuos tranſtulit, ſuccedit; ut ita in ſucceſſionibus iſtis Regnorum & Principatuum non inſpiciatur proximitas gradus, ſed primum primum proximitas lineæ, ita ut donec ex linea primogeniti aliquis ſuperſit, licet gradu remotior, ex ſecundi vel tertii linea nemo cujuscunque gradus ſit ſuccedere poſſit.

Theſ. 6.

Atque hæc ſucceſſio Juri Naturali, Aureæ Bullæ, pactis familiarum gentilitiis, aliisque conſtitutionibus Imperii conveniens eſt. Juris Naturalis ratio paula ante expoſita eſt. *Aur. Bull. tit. 7.* Principis primogenitum & hujus primogenitum & ſic porro in infinitum, fratrem verò primigeniti non vocat, niſi omnibus primigeniti liberis maſculis extinctis. Hanc ita in rem Sigismundus Imperator duas Bullas Palatinas, duas item Saxonicas edidit, in iisque prolixe hunc ſuccedendi ordinem explicavit.

Theſ. 7.

Theſ. 7.

Jus repræſentationis in deſcendentibus eſt Juris Naturalis. Hoc enim Jus repræſentationis eſt ipſum illud Jus, quod fundatur in tempore nativitatis,quo Jus ſuccedendi filio quæſitum transfertur ad omnes ejus deſcendentes, etſi caſus ſucceſſionis nondum exiſtat, ut quandocunq; ille extiterit, hi deſcendentes filii primogeniti in Jus illius ſuccedant, eumque hoc nomine repræſentent; quod naturali Juri conveniens eſſe jam oſtendimus. Hinc ſi regnum ſit in quo forte fœminæ quoque ex ſingulari lege regni ſuccedunt, & Princeps cujus pater acquiſiverat regnum moriatur ſine liberis,neptis ex fratre ſecundo genito deſcendens præfertur nepoti ex ſorore primogenita. Atque ita præfertur fœmina maſculo per hoc Jus repræſentationis, quia illa maſculum ſcil. patrem ſuum hic fœminam ſcil. matrem ſuam repræſentat, & ſic nepos qui ſuo nomine Jus potius præ nepte habuit ex ſexu ei cedit ex repræſentatione, quia non ſuo Jure ſuccedit, ſed repræſentat Jus infirmius matris, nec mater in illum Jus fortius transmittere poteſt, ac ipſa habuit, à qua omne Jus ſuum ſuccedendi conſecutus eſt nepos.

Theſ. 8

Filius qui ante apertum regnum ſeu Principatum patri naſcebatur, eſt præferendus nato

poſt

poſt adeptum regnum. Hanc litem Ottoni I. Imperatori movit frater ipſius Henricus, ſed Imperator ut Jure ita armis potior fuit, & meritò, quia in ſucceſsione tempus mortis & quid tunc relictum ſit inſpicitur: Nam etſi Jus ſuccedendi fundetur ex tempore nativitatis, ſucceſsio tamen non fit, niſi poſt mortem.

Theſ. 9.

Non poteſt pater in præjudicium filii ſui renunciare Juri primogenituræ & fratri ſuo ſecundo genito cedere Jus ſuum; quia filius hoc Jus ſuum non à patre, ſed à majoribus ſuis habet, quippe quod fundatur in Jure illo repræſentationis, quo omnes deſcendentes filii primogeniti in ejus locum ſuccedunt, ab eoque Jus quæſitum habent, quod auferri iis non poteſt, ſed poteſt filius primogenitus ipſe Juri ſuo renunciare. Hinc non niſi volente primogenito ſecundo genito Electoratum reliquit Fridericus Elector Brandenburgicus, etſi primus Electoratum acquiſivisſet. *L. 31. de lib. cauſ. c. 6. de teſtam. L. 3. in f. quib. ex cauſ. in poſſ. 2. F. 83. 45.*

Theſ. 10.

Filii ex conjugio inæquali ſeu morganatico nati non ſuccedunt in feudis, ut conſtitutum eſt *in 2. F. 26. §. mulier. 2. F. 29.* tum propter pactum, quo certis rebus contenti ut eſſent, conve-

Digitized by Google

convenit, tum quia feuda conſtituta imprimis ſunt, ac dari plerumque ſolent pro conſervatione ac ſplendore familiarum, imprimis illuſtrium ac magnatum, dignitatemque annexam habent, adeoque in ea non ſuccedunt, qui non ſuccedunt in dignitate.

Theſ. 11.

Filii ſeu deſcendentes non posſunt ſuccedere in feudo, niſi & ſuccedant in alodio; quia filius utrobique ſuccedit tanquam heres patris, quippe quæ ſucceſsio hereditaria naturalis' eſt, adeoque cum una tantum ſit hereditas, eaque individua in perſona heredis, quippe qui ſuccedit in univerſum Jus defuncti, non poteſt ille eandem hereditatem pro parte adire & pro parte repudiare.

Theſ. 12.

Agnati verò ſeu collaterales posſunt hereditatem allodialem repudiare, & in ſolo feudo ſuccedere, niſi feudum ſit hereditarium; Nam agnati duplici Jure ſuccedunt in alodio ut heredes ultimo defuncto ex lege: in feudis autem primo acquirenti, ex ipſius pacto ſeu providentia. In hereditariis verò omnes ſuccedunt ut heredes.

Theſ. 13.

Digitized by Google

Theſ. 13.

Feuda Imperii ad fœminas non pertinent, niſi ſingulari Jure id receptum ſit, quo caſu fœminæ ſemel per maſculum à ſucceſſione feudi excluſæ ſemper manet excluſæ, ut deciſum *in 1. F. 6. §. p.* unde ſi quis reliquerit filiũ & filiam hæc per filium ſemel excluſa, ne quidem admittitur poſt filiũ, etſi is ſine liberis deceſſerit; quod tamen omnino ſecus eſſe ſtatuimus in Principatibus ſeu feudis fœmineis, in quibus Jus primogenituræ obtinet; in iis enim filia mortuo ſine liberis filio juſtisſime ſuccedit, quia nondum poteſt videri excluſa à ſucceſſione quæ ſua natura non niſi uni competere poteſt.

Theſ. 14.

Fœminæ nec in Eccleſiaſticis nec in francis feudis regulariter ſuccedunt; etſi enim in iis ſervitia non præſtentur, alia tamen ſuperſunt, quæ in fœminas regulariter non cadunt; uti intereſſe Curiæ Parium ſeu Convaſallorum, exercere jurisdictionem, conſervatio familiæ, &c. Sic furioſum, mutum ſurdum claudum, &c. non ſuccedere in feudo, ſed alimenta ſaltem ipſis ex feudo, ſi id magnum ſit præſtari, ſtatuitur in *1. F. 6. §. f.* at ſi acquiſito jam feudo ſuperveniat iſtiusmodi calamitas, feudum ipſis non auffertur.

Theſ. 15.

Feudum quod propter feloniam in dominum commiſſam vaſallo ablatum eſt, domino quidem aperitur, ſed mortuo delinquente ad agnatos redit quia domino pro ſuæ ſaltem injuriæ ultione datur, ut traditur *in 2. F. 24. in f.* quæ ultio perſonam delinquentis non egreditur.

Theſ. 16.

Theſ. 16.

In feudis ſuccedunt cognati proximi Juxta computationem graduum civilem, non Canonicam, quia hæc tantum introducta eſt in nuptiis inter cognatos prohibendis: qua in re unius tantum partis nimirum remotioris gradus Jure Canon. recenſentur; at in ſucceſſionibus, utriusque, qua eſt computatio civilis.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google